



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput V. Vanæ observantiae notio & species.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

CAPUT V.

Vanae observantiae notio & species.

Vana observantia est superstitio, qua inutilibus rebus utimur, quæ nullam neque divinam neque naturalem vim habent. Quadrifariam dividitur. Prima vanæ observantiae species est, quando scientiam acquirere nitimur verbis, quibusdam, & jejuniis, aut figurarum, & inutilium inanumque rerum inspectione, eam velut infusam habere cupientes absque studii labore, quo passim & naturaliter ex Dei ordinatione scientia acquiritur: qui hæc agit, lethalius peccat.

Altera vanæ observantiae species est ad obtinendam sanitatem, cum caeremoniæ quædam adhibentur, aut certa verba proferuntur, aut quædam signa fiunt, ut hominum vel animalium morbi depellantur. Hæc apud rusticos frequenter usurpantur, inter quos anus pleræque hominum & animalium morbos verbis aut superstitiosis actionibus se depellere profitentur. Quando ex ignorantia, aut magna simplicitate id fiat, veniale tantum peccatum committitur, verum si postquam vanitatis & periculi actionis suæ persona est admonita, hanc exercere pergere tacite diabolum invocare censetur, quod certum mortale peccatum est.

Tertia ejusdem species est, cum fortuitè observamus *eventus*, & ex his prospera aut adversa eventura prænunciantur; veluti si prius peccatum

pedem sinistrum gradientes moveamus, aut in
janua limine domo exeuntes offendamus, aut
dum aliquid hujusmodi agimus. Vanæ & rudi-
culæ sunt hæ observationes; sed plerumque
peccata tantum sunt venialia, nisi his jam moni-
ti obstinate adhæreamus.

Quarta vanæ observantiæ species est circa
reliquias, sive veras, sive falsas: circa veras,
quando illas vanis cæremoniis gestamus, veluti
si quis Sancti reliquias hoc non alio involutas
panno gestaret, aut hæc non illa diei hora; aut
si hisce potius circumstantiis quam ipsis fida-
mus reliquiis, quod interdum esse potest morta-
le peccatum.

Locus hic est, ut aliquid de *Scapularis* de-
votione subjiciam. Hanc minime vituperare
volo, cum & sanctæ Virginis honorem respiciat,
& a Pontificibus plerisque ditata sit indulgentiis;
verum necessarium existimo Confessarios mone-
re, ut a vana confidentia, quam huic devotioni
adhibent, homines retrahant. Putant, si sca-
pulare gerant, se numquam absque confessione
interituros; & hac nixi fiducia vitam omnem in
peccatis ducunt. Plerique in duello pugnant,
sperantes non fore se in ea pugna interficiendos.
Horribilis hæc est superstitio, & diaboli dolus,
quo sanctam institutionem in scandalum & im-
penitentiam mutat. Hujusmodi devotionem
sancta Virgo non probat; illique irrogatur inju-
ria, si ejus veste contacti, Filium suum offendi-
mus. Verus Christiani habitus est Christus
Jesus juxta Apostolum, qui ait: *Induite novum*
H h 5 homi-

hominem, qui secundum Deum creatus est (Ephes. 4.). Scapularia sancti Francisci, vel sancti Augustini cingula tunc juvant, cum supra proprium christiani habitum hæc gestamus, & sumus veluti media ut digne illo vestiamur. At peccatorum inimici homines hæc exterius signa libenter gerunt, ex quibus nil molestiæ capiunt, & temere peccatorum suorum veniam sperant propter indulgentias, quæ hujusmodi signis sunt conjunctæ: verum si non pœniteant, ignis æterni pœna Deus illos damnabit.

Quatuor hisce notis vanæ observantiæ notantur. *Prima* est, cum verborum efficacia omnis in vanis quibusdam circumstantiis constituitur; veluti si ad depellendam infirmitatem tria *Ave* ante Solis ortum essent recitanda. *Secunda* est, si nomina aut characteres, quibus utimur, incognita omnino vel obscura sunt, sicut ut passim in schedis evenit, quibus sanari febres creduntur. *Tertia* est, cum vanum est id quod peragitur. *Quarta* est, cum falsa quædam & apocrypha usurpantur; veluti cum sancto Petro ridicula quædam dixisse Dominus perhibetur. Hujusmodi signis, quæ in plebe occurrunt, vanam observantiam dignoscere, & vitare possumus (a).

CAPUT

(a) Superstitiosa observantia &c. plerisque in Divinis scripturis reservatus est casus, si nempe peccatorum mortalium malitiam attingit. Omnes proinde circumstantias, ac præcipue illam personæ rite considerare Confessarius debet, ne ex præcipitantiis peccatorum